



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitularia Regvm Francorum

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

12. Litterae commendatitiae seu formatae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

præsentes quàm & absentes seu successores nostri quia dedimus in memoratum illum Cadillaco duos mansos ad ipsam luminariam providendam vel unde Presbyter qui ibidem officium fungere videtur vivere debeat. Et addimus ad hoc insuper de terra arabile & de vinea aripenne uno & dimidio, ut ævo tempore in elimosinam nostram seu successorum nostrorum ita valeat perdurare. Actum fuit hoc sub die memorato KL. Iunij in anno VIII. Christo propitio imperij Domni Karoli serenissimi Augusti, & anno * regni ejus in Francia, atque xxxv. in Italia, Indictione prima, in Dei nomine feliciter. Amen. His præsentibus qui adfuerunt, illic his præsentibus.

* xliii.

Littere commendatitiae.

XII. Sancto & Deo amabili Magnoni dono Dei Archiepiscopo ex Senonica urbe. Ego enim in Dei nomine Ebroinus donum Dei Archiepiscopus ex Bitonge urbe in Domino Iesu salutem optamus vobis in perpetuum. De cetero notum facimus sanctitati vestrae quia iste præsens Presbyter, nomen Dodobertus, parrochianus noster, in nostra diocese natus, & sacris litteris edocatus sit, ad ordinem sacrum eum promovere iussimus. Postea verò petivit nobis licentiam ut in vestra parrochia apud hominem aliquem nomen Hercambaldum manere voluisset. Nos verò petitionem illius non denegavimus, nisi licentiam illi dedimus, quia scimus quòd de bene liberis hominibus ortus sit. Vnde has litteras commendatitias more ecclesiastico factas ad sanctitatem vestram misimus, ut scire valeat Deo digna caritas vestra eum nec fuga lapsum, nec sua malitia à nobis eiecum, sed nostra voluntate destinatum. Et ut certius credatis, Græca elementa quæ octogenarium quadringentesimum & primum numerum expriment inprimis adnexuimus. Π. Petri quoque nomine primam litteram sumptam in medium adscribere rogavimus. Nihilominus etiam parvitas nostræ nomine primam litteram E. magnitudinis vestrae secundam litteram A. istius fratris nomine tertiam litteram Δ. civitatis nostræ quartam Ω. & Indictionem quartam adjunximus. Addidimus nonagenarium & nonum numerum, id est φ. & ϑ. & insequenter impressione sigilli nostri subter confirmavimus, & manu propria eam roboravimus, & Clericis nostris roborari iussimus. Actum in anno decimo imperij Domni nostri

ill. & anno XLIII. regni ejus in Dei nomine feliciter. Amen.

In nomine Π & Υ & Α. Reverentissimo sancto & Deo amabili illi Archiepiscopo Senonicae urbis. Ego enim in Dei nomine ille Cinomanice civitatis Episcopus in Domino Iesu Christo opto vobis salutem in perpetuum. De cetero notum facimus sanctitati vestrae quia iste præsens Presbyter &c. *quæ ad verbum eadem sunt cum superiori, ideòque hic repetita nolimus.*

In Dei nomine. Sanctissimo ac reverentissimo fratri illo Episcopo ille illius urbis Episcopus in Domino sempiternam salutem. Cognoscat fraternitas seu caritas vestra quia iste præsens Presbyter nomine ille in parrochia & in Ecclesia nostra sacris litteris edocatus fuit, & ab infantia fuit apud nos seu prædecessores nostros bonum habens testimonium, bonamque continentiam & innocentem vitam deducens. Vnde placuit illi modò ut ad aliam Ecclesiam se converteret, volens sibi querere seniore qui se de rebus temporalibus adjuvet, & cui ille secundum ministerium quod sibi injunctum est obsequium præbeat. Vnde vestram fraternitatem competentam facimus ut cuicumque placuerit eum suscipere, absque ulla ambiguitate hoc faciat, sciens illum & boni esse testimonij & à nobis sibi ab Ecclesia, quæ nobis ad regendum concessa est, migrandi licentiam accepisse. Et ut hæc litteræ firmiorem obtineant dignitatem, meliusque eis fides adhibeatur, manu nostra eas subter roboravimus.

Ingenuitas.

XIII. Dum omnipotens Deus nobis concedit in hoc seculo sanum corpus habere, oportet nobis pro salute animæ nostræ frequentius cogitare debere ut aliquantulum de peccatis nostris minuere mereamus. Itaque ego ille in Dei nomine pro animæ meæ remedium, vel pro meis peccatis minuendis, ut in futurum Dominus veniam mihi præstare dignetur, servum juris mei nomine illum relaxavi ingenuum; ea verò ratione ut à die præsentis sit bene ingenuus, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisset procreatus vel natus. Peculiare verò si aliquid habet, aut inantea Christo propitio laborare potuerit, cessum habeat. Et nulli heredum ac proheredum meorum nullum impendat servitium nec libertinitatis, nisi soli Deo, cui omnia subiecta sunt. Testamentum etiam faciendi, defensionem vel mundeburdem